

§. X.

Interea, dum hæc agebantur, Moderatorem Scholæ suæ desideraverant *Islebienses* B. Lutheri cives. Helingum igitur Præceptor ille laudatissimus & Patronus communis, *Philippus*, præ aliis compluribus prædicavit, tanquam Virum in litteratura humaniori non minus, quam Theologia præclare doctum, & quem ad ingenium suum totum formasset. Nec defuit commendationi successus. Non multo enim post, A. circiter 1550, vel circa finem 1549, a Comitibus Mansfeldensibus, ut illuc migraret, jussus est. Substitutus autem fuit in *M. Andrea Kegelii* locum a) qui sub initium A. 1549 adhuc superstes erat, vacuumque medio anni tempore officium sua morte videtur fecisse. Qua fide & diligentia in ea schola clarissima b) docendo, quantum ad studia humanitatis, versatus sit Helingus, ex Epistolis aliquot Melanchthonianis ad eum perscriptis, dum illic existeret, elucet. c) Quibus *Doctissimum, Amicum item clarissimum*, non solum compellavit Philippus; verum etiam, quam circumspecte in prælegendis eligendisque Scriptoribus latinis ille se gesserit, hic autem fidissime deliberantem adjuverit, palam fit. Quæ postrema consilia, utinam in rem suam hodie converterent, qui promiscue, Scholasticæ juventutis stilo formando non minus, quam moribus adolescentiæ, exitiosa ac noxia quævis sæpe obijciunt, atque hinc ad regulam præscriptam suos nævos emendare discerent. Ipse Helingus istam Philippi fidem his verbis laudat: d) *Tunc etiam cum ab Inclitis Comitibus Mansfeld. mihi cura administrandi scholam generosam demandaretur, omni genere*

a) *Rectoris antea celebris Virique pietatis Zelo ardentis: quo elogio mactatus est a Philippo in Ep. ad eum, quam servamus MStam, A. 1549. d. Conv. Pauli exarata, ex qua etiam Casp. Cruzigeri Theol. generosus fuisse cognovimus. Ald. Rec. Nov. Antiq. A. 1712. p. 260.*

b) *Generosam vocat Helingus in Lib. Versific. Præf. A. 2.*

c) *Vid. T. V. a J. Saubert. ed. 8. p. 329. sq.*

d) *Lib. Versif. Præf. A. 3.*